

lem non prius egisse de Syllogismo in genere, postea de Syllogismo categorico & hypothetico, quod tamen omnino facere debuisset; ea omnia sapiunt hypothesein Pacio propriam, nempe Syllogismos hypotheticos esse demum eos, qui sunt conjuncti, hoc est, vel Conditionales vel Disjunctivi, Syllogismos autem Categoricos esse simplices. Quæ ipsa tamen ἡ ἐν ἀρχῇ petunt. Aliàs quamvis Syllogismi ἐξ ὑποθέσεως secundum doctrinas Aristotelicas considerati sequioris sint ordinis, quàm οἱ δεικτικοί, nituntur tamen Syllogismὸ δεικτικῷ quæstionem licet minus principalem inferente, ratione cujus partis in aliquot figurarum constituuntur, atque ad eas revocantur. Id quod doctrinas Aristotelicas hoc in negotio excutienti facile fiet manifestum. Vid. interim Dn. Schilterus in laudata Dissertatione cap. I. §. II. --- VII.

XVI. Interim à Pacii sententia non est alienus Guilielmus Hildenus Quæst. & Comment. in Organon Aristotelis parte alterâ pag. 136. ubi postquam monuisset, Syllogismum hypotheticum denominari ab hypothesei, quâ nititur, eâque vel communi, vel speciali, species Syllogismi hypothetici duas constituit, quarum *μὴν* sit τῶν ἀκολουθίαν κατὰσκευαζόντων, qui verè ὑποθετικοὶ sint, ac Latinis dicantur Conditionales; alteram τῶν διαζεύξιν κατὰσκευαζόντων, disjunctivorum. Hypotheticorum verò τῶν ἀκολουθίαν κατὰσκευαζόντων rursus duas constituit species, ita ut eorum aliqui nec propositionem concludant (conclusionem inferant) categoricam, nec μέλην in illis sit categorica, sed omnes propositiones, major & minor, *μὴν* cum conclusione sint conditionales; alii verò majorem quidem habeant conditionalem, verum μέλην & conclusione categoricâ existente. Gemina habet pag. 170. ubi docet, sicut propositiones syllogisticæ sunt vel simplices, vel conjunctæ, ita ad hanc divisionem propositionum & Syllogismum dividi in categoricum & hypotheticum; imò persuasus est, utriusque, atque adeò non solum Categorici, sed & tam Conditionalis, quàm Disjunctivi rationem habuisse Aristotelem tum in